

Quantitas rebus

[Mec copia d'examens]

tioni mandatur. Resurrectionem mortuorum omnium absque mora excipiet universale iudicium.

V

1. Conceptus nostri universales obiectivum valorem habent: sed ipsis rebus nihil est formaliter universale ante operationem intellectus. Sensus externi sunt veraces circa proprium obiectum. Testimonium humanum in quibusdam adiunctis potest esse fons verae certitudinis. Dantur in rebus creatis accidentia realia, a substantiis realiter distincta; nec demonstrari potest absoluta repugnantia alicuius accidentis quod actu existat separatim a propria substantia. Ultimum fundamentum possibilitatis reponendum est in essentia divina, non vero in eius omnipotentia vel voluntate.

2. Substantiae corporeae compositae sunt ex materia prima et forma substantiali. Res naturales operantur propter finem et vera gaudent activitate, quae non potest reduci ad purum motum localem. Anima humana est spiritualis et naturaliter immortalis; vera gaudet libertate arbitrii, estque forma substantialis corporis.

3. Existentia Dei non potest demonstrari a priori vel a simultaneo, sed demonstratur multiplici argumento a posteriori. Deus est omni perfectione infinitus, omnino simplex, unicus, immutabilis et aeternus.

VI

1. Norma moralitatis obiectiva nequit reponi in utilitate sive privata sive publica. Pariter reiiciendus est sensismus moralis et autonomia kantiana. Dantur actiones intrinsecus bonae vel malae.

2. Lex naturalis est immutabilis et perfecta sanctione munita. Praecipit cultum Dei internum et externum; prohibet vero occisionem alterius privata auctoritate factam; sed tamen licita est defensio propriae vitae et libertatis contra iniustum aggressorem, etiam usque ad occisionem huius, servato moderamine inculpatae tutelae.

3. Societas coniugalis ex ipsa natura oritur, cuius immediatus et primarius finis est generis humani propagatio per generationem et convenientem proles educationem. Ius directe et immediate curandi educationem proles in ordine mere naturali, per se ad solos parentes pertinet. Monopolium quod vocant scholarum, vi cuius auctoritas publica sibi reservat ius scholas aperiendi, iuri naturali repugnat.

L. D. S.

A. M. D. G.

CONCLUSIONES

Ex Universa Theologia et Philosophia

PRO EXAMINE

In ordine ad Gradum

IN COLLEGIO MAXIMO MARIANOPOLITANO

I

1. Non repugnat revelatio saltem quoad modum supernaturalis, nec imo revelatio mysteriorum. Revelatio generi humano moraliter necessaria est respectu veritatum quae in rebus divinis humanae rationi per se imperviae non sunt; absolute vero necessaria est in hypothesi quod Deus, ex infinita bonitate sua, ordinavit hominem ad participanda bona divina ordinis supernaturalis. Dantur criteria revelationis externa, miracula imprimis et prophetiae, quae divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata. Ut veritati revelatae non leviter credatur, talis requiritur et sufficit facti revelationis divinae demonstratio, quae moralem praebet certitudinem, eaque acquisita revelationi debetur assensus fidei supernaturalis, liber, super omnia firmus.

2. Christus ad suam doctrinam custodiendam et propagandam vivum magisterium apostolicum instituit et ipse discipulos suos in veram societatem visibilem, hierarchicam, monarchicam, perfectam, Ecclesiam videlicet suam adunavit. Romanus vero pontifex, Petri in primatu successor, ex cathedra loquens eadem infallibilitate pollet qua Ecclesia docens. Huius autem infallibilitatis obiectum, praeter veritates per se et formaliter revelatas, sunt universim omnes veritates necessariae ad revelationis depositum custodiendum, in specie autem conclusiones theologicae et facta dogmatica.

3. Existit traditio, quae est fons revelationis distinctus a Sacra Scriptura, seu collectione librorum qui, Spiritu Sancto inspirante, conscripti sunt et ideo Deum habent auctorem. Ratio libri inspirati non consistit in sola assistentia Dei avertentis periculum erroris a scribente,